



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. LVI. Quòd nos ipsos abnegare, & Christum imitari debemus per
crucem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. LVI.

Quòd nos ipsos abnegare, & Christum imitari, debemus per crucem.

FILI, quantum à te vales exire, tantum in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit; sic se interiùs relinquere, Deo coniungit. Volo te addiscere perfectam abnegationem tui in voluntate mea, sine contradictione & querela. Sequere me: Ego sum via, veritas, & vita. Sine via, non itur; sine veritate, non cognoscitur; sine vita, non viuitur. Ego sum via, quam sequi debes; veritas, cui credere debes; vita, quam sperare debes. Ego sum via inuiolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata. Si manseris in via mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam.

Mat. 19 2 Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si vis veritatem cognoscere, crede mihi. Si vi perfectus esse, vende omnia.

Ibid.

omnia. Si vis esse discipulus meus, ab- *Luc. 9.*
 nega te metipsum. Si vis beatam vi-
 tam possidere, presentem vitam con-
 temne. Si vis exaltari in cælo, humilia *Ioan. 12.*
 te in mundo. Si vis regnare mecum, *Luc. 14.*
 porta crucem mecum. Soli enim serui
 crucis inueniunt viam beatitudinis, &
 veræ lucis.

3 Domine Iesu, quia arcta est vita
 tua, & mundo despecta, dona mihi te
 cum mundi despectu imitari. Non *Mat. 7.*
 enim maior est seruus domino suo, *Luc. 6.*
 nec discipulus supra magistrum. Exer-
 ceatur seruus tuus in vita tua, quia ibi
 est salus mea, & sanctitas vera. Quid-
 quid extra eam lego, vel audio, non
 me recreat, nec delectat plenè.

4 Fili, quia hæc scis, & legisti omnia;
 beatus eris, si feceris ea. Qui habet *Ioan. 14.*
 mandata mea, & seruat ea, ipse est, qui
 diligit me: & ego diligam eum, &
 manifestabo ei meipsum: & faciam
 eum confedere mecum in regno Pa-
 tris mei. Domine I E S U, sicut dixi-
 sti & promisisti, sic utique fiat, & mihi
 promereri contingat. Suscepi, suscepi
 de manu tua crucem, portabo, & por-
 tabo eam vsque ad mortem, sicut im-
 posui-

posui-

posuisti mihi. Verè vita boni monachi, crux est, & dux paradisi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet.

§ Eia fratres, pergamus simul, Iesus erit nobiscum: propter Iesum suscepimus hanc crucem: propter Iesum perseueremus in cruce. Erit adiutor noster, qui est dux noster, & præcessor. En, rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, vt fugiamus à cruce.

CAP. LVII.

*Quòd homo non sit nimis deiectus,
quando in aliquos labitur
defectus.*

FILI, magis placent mihi patientia & humilitas in aduersis, quàm multa consolatio & deuotio in prosperis. Vt quid te contristat, paruum factum contra te dictum? Si amplius fuisset, commoueri non debuisses. Sed nunc permitte transire: non est primum,